



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 105. Auxilia a Ludovico Lotharingio clam lubmissa

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Secul. XV.  
A. C. 147.

§. CV.

*Auxilia a Ludovico Lotharingio clam  
submissa.*

Fervebant interea continua Nancejum urbem obsidentium studia; Cum vero Ludovicus clam Lotharingiæ Ducis auxilia suppeditare statuisset, hinc Credenensi Toparchæ exercitus sui, qui in Barenensi Ducatu erat, Præfecto literas dedit, iussitque, ut copias suas proxime, quantum ferret opportunitas, Nancejo admo- veret, nec tamen Lotharingiæ Ducis citationes transiret, simulque ingentem com- meatus copiam eo fine colligeret, ut hac ejus sollicitudine Burgundiones de- cepti subsidia obsessis parari crederent, proin ut Burgundiæ Dux quædam agri- na ab exercitu suo abstraheret, atque an- nonam in urbem inferri præpediturus ac- curreret. Præterea Galliarum Rex quasdam Equitum legiones militari sa- cramento absolvit, ut opportunam illis ad Lotharingii Ducis signa transeundi occasionem præberet. Tandem etiam Campaniæ ac Picardiæ Nobilibus ma- gna rationum vi exposuit, quantum eor- um interesset, Burgundionum incremen- tis obsistere. Hi aliunde horum poten- tia oppido pressi, faciles Regi aures præ- bebant, pluresque Nobiles arma capie- bant,

bant, opem Duci Lotharingiæ laturi. Sæcul. XV. A.C. 1476.  
 Huic etiam Rex submiserat viginti tria aureorum millia, ut præter quingentos Germanos Helvetiorum decem millia conscribere posset.

## §. CVI.

*Praelium inter utrumque exercitum;  
 Burgundionum clades.*

Recentem hanc militiam Lotharingius suis adjunxit copiis, tantaque alacritate processit, ut Burgundionum occursum præveniret, pontemque S. Nicolai occuparet. Obsessi tam prospero Martis auspicio novos induunt animos, quamvis se se hostium arbitrio dedere paulo ante parati fuissent. Burgundus re comperita viritum suorum Belliducum sententias rogat, hi omnes censebant tutius esse, ad Mussiponti urbis moenia se recipere, ibique erectis propugnaculis, iisque validissimis hostium impetus eludere; aiebant enim, exercitum vix quatuor bellatorum millibus constare, ac potissimum eorum partem adversa valetudine premi. Nihilominus Burgundiæ Dux Campo Bassii consilio permotus praelium decernit, suosque milites ex aggeribus, quibus sustinendis numero impares erant, extrahit, atque ad Nosocomium S. Magdalenæ castra metatur. Utrunque manus